

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

ORIOLEN. - LUCENTIN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVAE DEI

TERESIAE MIRA GARCÍA

(in religione: TERESIAE A IESU INFANTE PRAGENSI)

RELIGIOSAE PROFESSAE

SORORUM CARMELITARUM MISSIONARIARUM TERESIANARUM

(1895-1941)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

“Patefecit Iesus amoris Dei erga hominem altitudinem in pedum lavatione: in Ipso sese Deus tradit in hominum famulatum! Revelat Ille, eodem tempore, vitae christianae sensus potioreque ratione etiam consecratae vitae quae *vita amoris sese offerentis* est, concreti alacrisque ministerii” (IOANNES PAULUS II, Adhort. Apost. post-synod. *Vita consecrata*, 75: AAS LXXXVIII [1996], 450-1).

Dominus Iesus, qui “semetipsum exinanivit formam servi accipiens” (*Phil* 2,7), dixit: “Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, et vos faciatis” (*Io* 13,15). Hoc praeceptum etiam Teresia Mira García est exsecuta, quae pro Dei proximorumque servitio se devovit, suam consecrationem secundum Evangelium atque Regulam colendo.

Orta est Serva Dei in oppido *Algueña*, intra fines posito dioecesis Oriolensis-Lucentinae, die 26 mensis Septembris anno 1895 a Iosepho

Queremón Mira Torregrosa et Teresia García Abad; biduo post, baptismum accepit nomine capto Teresia et anno 1906 eucharistico Pane primum se aluit. A pueritia operam dedit parentum paupertati levandae, tamquam famula apud diversas familias ministrando. Noveldae, quo cum suis demigraverat, Confirmationem excepit, legere didicit et scribere atque pietatem erga Infantem Iesum Pragensem, quae magnum habuit momentum in vita eius futura. In Dei cognitione et amore progressa est animamque suam cotidie confirmavit Missae participatione, Rosarii recitatione aliisque religionibus. Patris dissensione superata, anno 1915 ingressa est Congregationem Carmelitarum Missionariarum Teresianarum Tarracone, conditam a Beato Francisco Palau y Quer (anno 1872 defuncto), et nomen cepit Sororem Teresiam a Iesu Infante Pragensi. Professionem temporaneam fecit anno 1916 et perpetuam anno 1921. A superioribus ei mandata est alumnorum scholae maternae educatio, primum in loco *Alcalá de Chivert* (annis 1918-1924), deinde in pago *San Jorge* (annis 1924-1936), ubi etiam curam posuit in sacrario inque assiduitate domestica aegrotis praeibenda. Anno 1936, Hispanico inito bello civili, fuit ei ad familiam aliquamdiu redeundum deindeque in urbem Noveldam (annis 1936-1939), ubi in pia dominae ministerio fuit, christianam suam fidem non occultans nec suam mulieris religiosae condicionem, assidue se dedens operibus pietatis et eximiae caritatis erga omnes, non sine periculo vitae propter atroces eorum temporum circumstantias et angores vivendi in dominio persecutorum Ecclesiae. Bello civili ad finem adducto anno 1939 Serva Dei denuo se communitati restituae aggregavit Collegii Noveldae (annis 1939-1941), ubi cum humilitate et patientia exsequi perrexit officia et labores domus et in silentio morbum ingravescentem perpeti, quo iamdiu debilitabatur.

Summa cum diligentia, sedulitate veroque evangelico spiritu suam explicavit navitatem. Etsi pulmonum morbo esset affecta, qui eam afflixit inde ab anno 1916, de ullo labore deque ullo incommodo noluit se subducere, semper laetam ostendens se pro gloria Dei proque animarum salute immolari. Corporis imbecillitas et dolores tum physici tum morales atque Hispanici belli civilis eventus altam eius interiorem pacem non turbaverunt nec constantem risum. Firmiter enim parata erat ad se abnegandam, ad tacite crucem tollendam (cf *Lc 9,23*) et ad implendum Domini verbum usque ad ultimum spiritum: "Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum

fructum affert" (*Io 12,24*). Ita, cum amore et propter amorem sua exsequendo cotidiana munera suaque sacrificia atque dolores offerendo, se sanctificavit et animarum saluti profuit altumque est perfectionis christianae gradum adepti. Eius humilis et impigra vita constanter fide, spe, caritate est illuminata. Divinae revelationi est assensa atque Ecclesiae magisterio et intimam cum Domino nutrit conunctionem per precationem, pietatem in Christi humanitatem et Eucharistiam. Mater Redemptoris eius magistra fuit in verbo Dei audiendo, in docilitate ad Spiritum Sanctum, in servitio Dei necnon in accuratione Corporis Christi mystici. Ut Domino placeret, quem corde dilexit indiviso, ex sua consecratione fideliter vixit et alacriter, divina mandata, leges Ecclesiae, Regulam Congregationis suae votaue religiosa servavit, peccatum fugit et superiorum voluntati oboedivit in minimis quoque rebus. Precabatur et se castigabat pro peccatorum et non christianorum conversione seque victimam devovit pro patris aeterna salute. Cum simplicitate et assiduitate opera fecit misericordiae spiritualis et corporalis, pueros praeter omnes amans, pauperes, aegrotos, infirmasque sorores sodales. Sine intermissione et sine questibus pro bono laboravit Congregationis suae et, quamvis morbo debilitata esset, utilis esse nisa est omnibus qui cum ea erant. Iis, qui indignitatibus et aegritudinibus eam affecerunt, ignovit. In instrumentorum usu aptorum ad progrediendum in Christi imitatione prudens fuit, sicut et in consuetudine cum proximis, quibus constanter exemplo fuit aequabilitatis, perfecti obsequii erga Evangelium et Instituti charisma, quietis interioris et exterioris. Exemplari modo temperantiam coluit, iustitiam, sinceritatem, fortitudinem in difficultatibus et in infirmitatibus. Dei auxilio est semper confisa eiusque voluntati omnino se commisit. Ad vitam aeternam diligenter se praeparavit, in quam, phthisi consumpta, sancte introivit, cum in Collegio erat Noveldae, die 26 mensis Februarii anno 1941.

Fama sanctitatis eminuit in vita, in morte et post mortem; quam ob rem Episcopus Oriolensis-Lucentinus Causam iniit beatificationis et canonizationis per celebratam inquisitionem dioecesanam (annis 1985-1987), cui additae sunt tres inquisitiones rogatoriales, quarum auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 10 mensis Maii anno 1989 promulgato. Confecta *Positione* disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Die 16 mensis Aprilis anno 1996 felici cum eventu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria


nonis Novembribus habita eodem anno, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Ioanne Canestri, Sororem Teresiam Mira García heroum more virtutes theologales, cardinales iisque adnexas observavisse edixerunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Teresiae Mira García (in religione: Teresiae a Iesu Infante Pragensi), Religiosae professae Sororum Carmelitarum Missionariorum Teresianarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 1996.



† ALBERTUS BOVONE
Archiepiscopus titularis Caesariensis in Numidia
Pro-Praefectus



† EDUARDUS NOWAK
Archiepiscopus titularis Lunensis
a Secretis